

Utrum Usus Activus Linguae Latinae Sit Omni Periculo Ac Pernicie Remotus

Viginti abhinc annos Latine loquentes vel magistri qui rationibus faverent quibus discipuli se in Latine loquendo exercerent, risui habebantur. Nunc vero temporis res adeo aliter sese habent ut hunc orbem circumactum esse videatur. Usus activus -ut aiunt- tam multis in locis adhibetur ut iam successus et exitus, beneficia et pericula accuratius cerni queant. Cum tandem haec docendi strophæ a pluribus praeceptoribus tam in ludis et lyceis quam in academiis et universitatibus studiorum accepta esset, factum est ut complures magistri se, periculis non perpensis, ad rem temere ac praecipitanter darent.

Haud defuerunt Artium Renascentium aetati, cum denuo docti viri coeperunt Latine colloqui, qui sibi coetaneos super barbarie in sermonem irrepente et erroribus e sermone eradicandis monerent. Hi humanistae data opera purum integrumque colere idioma Romanum cupiebant ab loquela Medio, quod dicitur, Aevo propria perpurgatum. Nostra tamen aetate aliunde colluvio sordium seu polluta barbaries admodum similis est exorta, videlicet e Latine loquendi enchiridiis, e novissimis lexicis ad usum vivum spectantibus, ex ipso hominum motu qui quam maxime artem Latine sermocinandi propagat. Sunt enim inter huius exercitationis fautores, numero multi, qui ab aliis linguis sive modernis sive antiquis linguam Latinam nullo modo discrepare asseverant. Videtur autem sat magnum esse discrimen inter hanc et alias linguas, non modo linguae ipsius natura (nempe non vulgaris est) sed etiam scopo (h.e. causa cur eam discamus peculiaris est). Enimvero nostra multum refert utrum haec lingua aliis similior an dissimilior sit, cum similitudines vel discrimina vim habeant in modis tradendi colendique. Namque, omnibus linguis aequalibus et similibus, nullus esset nec nobis nec nostrorum maioribus timor corruptelae. At timor ille praestantioribus Latinitatis cultoribus semper adfuit.

Nihilosetius cum optimum quodque enchiridion tamquam fons totius Latinitatis accipitur atque in ipsarum litterarum classicarum loco suppedatur, corruptelae oriuntur; attamen ea enchiridia quae in pretio nunc sunt comparari nequaquam possunt cum saeculorum praeteritorum Romanae eloquentiae dialogis vel cum arte dicendi praeceptis et exemplis translaticio more tradita, ideoque maius corruptelae periculum est. Idem est de turmis sive circulis Latine loquentium dicendum: quoniam cum homines inter se et facundissimi quique loquantur, saepius fit ut in se ipsos convertantur ac sermo sibi proprius et prorsus novus illinc nascatur.

Hac demum acroasi, utrum semper prosit discipulis magistrum Latine garrientem audire; cur et quomodo linguae Latinae praeceptores caveant ne in quaedam corruptelarum genera incidant; qui denique sint, allatis ex enchiridiis gregibusque Latine loquentium exemplis, modi quibus Latine loqui periculosum vel infestum esse possit, disseretur.